



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Quid sit recusatio, & quomodo cum appellatione conveniat, vel ab illa differat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

quamvis iterum suae desertionis pœnitens eam prosequatur, ac si ab ea appellatum non fuisset, & consequenter transit in rem iudicatam, ita ut sententia à Judice ad quem lata, contra priorem sententiam à Judice à quo latam, nulla sit, velut lata à non legitimo Judice & contra rem iudicatam.

SECTIO X.

De Recusationibus & relationibus.

§. I.

Quid sit recusatio, & quomodo cum appellatione conveniat, vel ab illa differat?

Recusatio est Judicis & jurisdictionis Riptius, proposita causâ suspicionis declinatio, eo quod Judex v. g. ex causa verosimili suspectus sit, ut scilicet majore sinceritate lites procedant. *can. Quod suspectus, causa 3. q. 3. c. Causam. 17. & c. Suspicionis. 39. de Officio deleg.* Convenit in aliquibus cum appellatione, in multis tamen etiam differt, Conveniunt inter se primò, quod sicuti per appellationem receditur ab audientia Judicis, ejusque Jurisdictio suspenditur, ita etiam fiat per recusationem; quâ pendente non potest actum aliquem judicialem Judex recusatus exercere. Secundo æquiparantur, quoad modum proponendi, ut sicut sine justa & rationabili causâ expressâ non admittitur appellatio ab interlocutoria, ita nec recusatio Judicis. Tertio in eo etiam conveniunt, quod sicuti regulares possunt

appellare à correctione superioris, si modus in ea excedatur, ita possit etiam superior recusari, si valde suspectus esset, & ob passionem excessurus putaretur in corrigendo, dummodo manifesta sit causa suspicionis. Differt autem appellatio à recusatione. Primò quod recusari possit Judex, etiam si non graver, cum tamen appellari non possit à Judice nisi graver. Secundo quod recusari aliquis non possit Judicem, in quem consensit, cum tamen ab hoc appellare possit. Tertio quod à Vicario generali aut officiali non possit appellari ad Episcopum, possit tamen coram hoc Vicarius v. g. recusari. Quarto quod in eadem causa non liceat tertia appellatio, possit autem post secundam appellationem Judex recusari &c.

§. II.

Quando, & quomodo fieri possit, recusatio Judicis, & quis sit illius effectus?

PROponi debet recusatio Judicis intra 20. dies post libellum ante contestationem litis; quia recusatio hæc ad dilatorias exceptiones pertinet, ante litis contestationem proponendas, ne agendo aut respondendo coram illo videatur eum ut Judicem approbare. Sicuti autem 20. dies de utroque jure conceduntur parti ad deliberandum, utrum litigare velit, ita hi etiam subservient ad recusandum Judicem, nisi notorium sit eum carere jurisdictione; vel judicium subeat de excommunicatione v. g. actoris, cum protestatione, ut salva sibi maneat recusationis exceptio, vel post
Eff 2 licem